

No. 76. 1311.

Das Kloster zum h. Kreuz bei Meissen verkauft 2 $\frac{1}{2}$ Mark jährl. Zinsen zu Wolfshain an das Thomaskloster.

Nos Albertus praepositus et Elena dei gratia abbatissa, Margaretha priorissa totusque conventus monasterii sanctimonialium sanctae Crucis prope Misnam recognoscimus tenore praesentium publice profitentes, quod habito tractatu diligenti et maturo consilio de consensu communi omnium nostrum bona nostra in Wolvishayn^{a)} sita propter distantiam loci nobis minus utilia, scilicet duas marcas et dimidiam argenti in festo sancti Johannis baptistae quinque fertones et in festo sancti Martini quinque fertones annis singulis solvendas, iusto venditionis et emptionis titulo domino Conrado praeposito Johanni priori totique conventui canonicorum regularium sancti Thomae apostoli in Lipzk pro decem et octo marcis pecuniae nobis integraliter iam solutis vendidimus cum omni iure utilitate ac libertate, qua nos dicta bona a principibus donata et a regibus confirmata tenuimus, perpetuo possidenda, renunciantes per praesentes litteras simpliciter et sine dolo omni iuri, quod nos et ecclesia nostra ex donatione et confirmatione huiusmodi principum seu regum vel litterarum eorundem in dictis bonis cognoscimur habuisse, praesentantes nihilominus eadem bona praedicto Conrado praeposito et conventui suo superius praenotato in eo donationis et confirmationis vigore, in eo etiam proprietatis possessionis utilitatis ac libertatis iure, quo ad nos et ecclesiam nostram pertinuisse haecenus cognoscuntur. In quorum robur et memoriale perhenne praesentem eis dedimus litteram sigillorum nostrorum appensionibus communitam. Testes huius venditionis et emptionis sunt dominus Henricus de Zweime maior praepositus ecclesiae Misnensis, dominus C. praepositus ecclesiae sanctae Affrae, dominus H. de Vratislavia praepositus in Hain, magister Th. de Limpach et plures alii fide digni. Actum et datum anno domini M^o CCC^o XI^o.

Nach dem Registrum copiarum fol. 53^b im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. — Liber copiarum fol. 58^b im Rathsarchiv zu Leipzig.

a) Wolfshain, Par. Beucha.

No. 77. 1311. 19. Juni.

Das Domcapitel zu Meissen bezeugt, dass der Convent zum h. Kreuz einstimmig gewisse Einkünfte zu Wolfshain an das Thomaskloster verkauft hat. (Vgl. No. 76).

Nos Henricus dei gratia praepositus, Withigo decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis tenore praesentium publice protestamur et universis ad quos praesentes pervenerint literae cupimus esse notum, quod discretus vir dominus Albertus praepositus, Helena abbatissa, Margaretha priorissa totusque conventus sanctimonialium monasterii sanctae Crucis prope civitatem Misne de communi consensu omnium et singularum earum bona quaedam in Wolvishain sita, quae propter